

mnem scortatorem, immundum, aut avarum regni cœlorum expertem esse, sonorâ voce pronuntiant. Gal. 5. 19. & seqq. Eph. 5, 5.

21. Et Christum Servatorem, qui in sui abnegatores hanc fert sententiam: Quisquis negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo cœlesti Matth. 10, 33.

22. Quare & ad Petrum, licet pro ipso erraverit Dominus, ut ne deficiat Fides eius, tamen expressè dicit: & tu conversus confirma fratres tuos. Luc. 22, 32.

23. Nisi enim post negationem conversus fuisset: defecisset profectò Fides eius, ipseq; eternum perisset.

24. Ejusdem generis exemplum horrendus ille protoplastorum lapsus etiam subministrat. quos in justitia & sanctitate veritatis, ad ipsius Dei imaginem conditos, transgressione tamen sua non seipsos modò, sed universos ac singulos humana stirpis posteros iræ Dei ac eterne damnationis reos peregisse, Scripturarum demonstrant oracula. Gen. 1, 27. Eph. 4. 24. Rom. 5. 12. & 18.

25. Hos ergò si Sacramentarij adversa fronte gratiâ Dei excidisse negaverint: sequetur infallibiliter aut posse aliquos maledictos, & eterne damnationi addictos, Spiritus sancti gratiam nihilominus sartam tectam conservare: aut falsum esse, quod Iehovah ipse minatus illis fuerat

fuerat